

maximè florentis Oratoris Galbæ se opposuit, Hispaniamque prouinciam, quam iuuenis armatus manu vicerat, inermis senex lingua defensauit.

Q. ROSCIUS COMOEDVS.

Ingens & penè ridiculus à M. Catone ad Roscium histrionem descensus, ipse tamen ne hinc vbi cum alijs Scriptores admiserunt excludatur, obsecrat, ne uè de illo inter Bibliothecæ penetralia loqui pudeat, pro quo non puduit M. Cicero- nem in foro loqui, & (quod mirari cogit) P. R. obiurgare, quia is, agente gestum Roscio tumultuosus, nec satis attento silentio fuisse videbat, denique pro quo habitam orationem scriptis mandare non piguit. Profectò enim ad quamlibet artium applicetur animus, intentione vehementi, ad præsentem materiam spectare potest: Nam quid refert, Artes variæ, studium vnum est. Roscius itaque ludicræ artis famosissimus Magister, tanto illam studio exercuit, vt nullum populo, nisi domi prius examinatum actum exprimeret, qua diligentia eò profectus est, vt apud ipsum Cicero- nem scriptum est, miranda eorum impudentia qui agerent in scena, gestum in